

pro vobis traditur: accipite & māducate. Luc. 22. b. 19. Matt. 26. c. 26. Vnde adulterinum Missæ sacrificium exortū esse putabimus? Imò quid obstabit, quin securè pronuntient fideles, subverti Christi crucē, simul atque erigitur ad sacrificandū altare? Eadē æquitate mihi succensent, quòd cœnæ mysteriū in fœdam istā Missæ abominationē non trāsfiguro. Scilicet, vt me illis morigerū præberē, dicendū fuit, Hoc facite, id est sacrificate. est enim illa magistralis glossa.

Hebr. 10. c. 12.

Artic. 30.

Annotatio, Oblatio Christi sola pro peccatis. Bibliis 1532. 1534. 1540. 1546.

Censura, Hæc annotatio in sensu quæ facit, cōspirat hæresi, vtpote innuēs sacramēta & alia nostra opera, vt sunt eleemosynæ, orationes, ieiunia, & huiusmodi, nō facere ad satisfactionē p peccatis nostris.

Vnus Christi sanguis hoc encomio prædicatur, quòd nos mundet à peccatis. 1. Iohan. 1. c. 7. Correctio enim pacis nostræ illi fuit imposita, vt est apud Esaiam, cap. 53. b. 5. Et sane nulla alia in Lege expiatio diuinitus præcepta fuit, quàm per sacrificia: quibus adumbravit Deus